







1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

1776.

1. Detry, Samuel : De successivo telluris habitabilis incremento
2. Hackeman, Joannes Thomeus : De iustitiae S. P. Velle. juri (Programma ... Dissertatione in ang. Christianus Meunier Virigenz a Winterfeld ... promissum)
3. Madelin, Georgius Samuel : De antichresi ex fundo pignoratio.
4. Madelin, Ludovicus Godfridus : De quarta Div. Pii ejusque usq; hodieus-
5. Sibovius, Samuel Benjaminus : De iuriis puniendi fonte.
6. Wieland, Immanuel Carolus : De pactis bellicis inter gentes
7. Winterfeld, Christianus Meunier Virigenz : De formationibus propter nuptias.

1777.

Schuster, T. G.: Solennis Latem anniversariam memoriae  
Friderici Nicolai Magazis publico iunctus festinatio  
... celebrandae ... indicit. Precedit Signatio  
de dubia carminum orphicorum auctoritate ac  
veritate

1778.

1. Marlin, Georgius Samuel: Friderici Nathanaelis  
Volensati ... solemnis inauguratio ... indicit,  
nomella: De virtute conventionis, qua fundi  
vnde tributa in venditorem transpermittuntur  
ad l. 11 c. de pactis ... praefatas.

2. Volensatus, Fridericus Nathanael: N. intertestatorum ab  
niessim hereditatis

1781.

1. Marlin, Ludovicus Thopodus: Variæ juris observationes.  
2. Winterfeldt, Iacobus Cornelius Henricus: N. Jure compensacionis  
et jure retentionis

1782.

Martin, Georgius Samuel: De caembris bav., quae  
libent sacrum intermissionem causa

1786

1. Braun, Fidensius Georgius: De bonis collegii  
disoluti, cui cedant?
2. Zaris, Fractim Georg: De differentia iuris aequi  
atque stricti (ad Dss. inay. ... Fidensie Georgie  
Braun ... irritat)

1788. Pirner, ab. Theop. Fluvius: Dissertatio iuridica  
in II F. 45, quam, quo ad hanc ad gradum T. H. doc.  
tuis uti pandatur, publice defendet.

1797.

Martin, Ludovicus Gaspars: promotionem in  
juris Doctorum ... facit simulque consultum  
in praxi acceptum et iure noviss. Bonn. Brandenburg.

confirmation modum competendo in antecipatio  
contra norissimas impugnaciones Schmidii dicti  
Phiseldeck defendit.

SOLENNITATEM ANNIVERSARIAM 1777 8

MEMORIAE  
FRIDERICI WILHELMI  
MAGNI

PUBLICO PIETATIS TESTIMONIO

AB

ACADEMIA FRANCOFVRTANA  
DIE XVII. FEBRVARII MDCCCLXXVII.

CELEBRANDAE

INDICIT

I. G. SCHNEIDER

PHILOG. ET. ELOQVENT. P. P. O.

---

PRAECEDIT DISPVNTATIO DE DVRIA  
CARMINVM ORPHICORVM AVCTORITATE AC VETVSTATE.

---



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

lc,

ALBANIUS  
MAGISTER  
IN LIBERIS ET LIBERTATIBUS  
ACADEMIAE LITERARIAE  
SOCIETATIS IMPERIALE  
GESSNERIANAE  
I.C. SCHNIDER

ETATATIONE CIVITATIS TIRHESIENSIS  
ETATATIONE CIVITATIS TIRHESIENSIS

ALBANIUS  
MAGISTER  
IN LIBERIS ET LIBERTATIBUS  
ACADEMIAE LITERARIAE



**D**Quanta sit opinionum paeceptarum vis ad hominum etiam acutissimorum judicia flectenda et regenda, quantumque in iis valeat vetustatis commendatio, manifestum est exemplo carminum Orphicorum, quo quidem historia ingenii humani totiusque antiquitatis memoria nullum facile insignius habere mihi videtur. Contigit enim in Orpheo, quod plerisque contra sollet, ut quo longius a cogitatione mentis humanae recederet memoria temporum eorum, quibus instar solis illuxerat primus ille sapientiae humanae divinaeque magister, eo plura litterarum monumenta in dies proferrenrur, quae ab eo relista esse dicebantur, ut tandem dubitari coepit, an omnino Orpheus poeta umquam fuerit. Multos jam antiqua Graeciae tempora habuere viros doctos, \* qui vel ingenii tentandi causa personam Orphei aliquamdiu susciperent, quo hominum animos in suavissimam illam heroicorum temporum recordationem adducerent, vel, ut philosophorum credulitatem illudarent, san-

\* Horum indicem habes apud Suidam sub voce *Orpheus*, Clementem Alexandrinum Stromat. I. p. 333. Ciceronem de N. D. I. 38.



etissimi nominis celebritatem atque auctoritatem usurparent. Plura etiam deinde recentior aetas tulisse videtur ejusmodi ingenia, quae pristinum fraudis exemplum in fictis Orphei scriptis propositum temeritate sua renovarent. Cum enim haud multis a Christo nato seculis studia philosophiae et theologiae mysticae a nova Platonicorum familia suscitata incalescerent, magna ingeniiorum contentio exorta est inter hujus scholae principes, Iudeos et Christianos, qui quidem omnes simul velut inito certamine sententiarum suarum primordia ad Orpheam referre, ejusque auctoritatem in partes suas trahere conabantur. Dum igitur hinc de nova Platonis schola philosophi, illinc Christiani ac Iudei causae fauae praesidia cupidissime conquirebant, interim homines callidi, cum non dubitarent, quin comis ille senex Thracius nomen suum ipsis ad translationem fraudis commodaturus esset, quo facilius errorem objicerent rixatorum libidini, multa carmina ad exemplum Orphicorum, quae tum circumferebantur, efficta, et ad vetustatis similitudinem adumbrata in vulgus disseminabant. Ex hac quidem officina tum prodiisse mihi videtur personatus iste Orpheus, cuius hodieque habemus opuscula quaedam, Argonautica et Hymnos. Nescio tamen qui deinde factum sit, ut homo obscurus, qui nullum ex tota antiquitate cognitorum locupletem dare poterat, tamen intra pelliculam suam non contineretur, sed antiqui illius Orphei auctoritatem sibi assumeret, et novo aliquo blanditiarum genere paullatim in gratiam Io. M. Gesneri, viri clarissimi, adreperet. Quid multa? tandem nugator iste, cum ei controversia de statu mota esset a viris doctissimis, qui diu habitabant in historia philosophiae, atque omnem vetustissimorum temporum memoriam animo complexi erant, eo Gesnerum permovit, ut caufae desperatissimae defensionem sibi imponi pateretur. Hic igitur antequam ipsam rem aggredetur, primum hoc in oratione sua posuit, fuisse omnino aliquem Orpheam, magnum sapientiae laude virum, qui homines a fera agrestique vita ad cultum humanum ciuilemque traduxerit, atque animos nimia libertate ferocientes religione deorum adstrinxerit. Deinde assumit id, quod ei facile concedimus, vetustissimis Graecorum philosophis jam innotuisse carmina quaedam, quae Orphei esse dicentur; quae quamquam ab Euripide, Platone, et Aristotele laudantur, nihil tamen



tamen minus dubitari potest, an omnino quidquam litteris' con-signatum reliquerit **Orpheus**. Atque haec quidem omnia pree-muniri putabam reliquae **Gesneri** disputationi, quo facilius in-telligeremus, quomodo veteres Christianae religionis apolo-giae carmina ita **Orphica** ab **Onomacrito** condita esse dixerint. Verum hic ille longe diversam rationem fecutus est, cum ex-inde probabili conjectura colligi posse putabat, haec nostra Ar-gonautica, quae cum aliquot Hymnis et libello de lapidum vir-tutibus sub **Orphei** nomine edita exstant, quoniam is scilicet ubique loquens inducitur, ab **Onomacriti** ingenio esse profecta. Possem hanc argumentationem acerbius insequiri; sed amice cum viro docto agere malo. Exspectabam enim, ut ille testimonia veterum scriptorum afferret, quibus Argonauticorum horum au-toritas ad **Onomacritum** referri posset. Ego quidem in tanta multicudine nondum reperire potui, qui **Onomacritum** scripto-rem Argonauticorum ficeret. Nam quod olim exstabat scri-ptum eodem arguento caramen, auctorem habuit **Orpheum** quendam Crotoniaten, aequalem Pisistrato, ut ab Asclepiade li-bro sexto Grammaticorum traditum accepimus. Quid vero dicamus esse causae, cur Apollonii Rhodii Scholiafes, quem vetustissimos quosque historiae Argonauticae scriptores diligen-ter in consilium adhibuisse, atque etiam **Orphica** carmina, quae tum temporis exstabant, legisse constat ex adnotatione ad li-brum II. v. 467. III. 1. III. 26. tamen hunc nostrum auctorem ne verbulo quidem uspiam commemoraverit? Neque enim audiendum puto Io. Toupium, virum litteratissimum, qui nu-per in libris Emendationum ad Suidam levissima suspicione permotus, sine ullo arguento temere pronunciavit, esse haec, quae sub **Orphei** nomine edita exstant, carmina de Argonauta-rum expeditione referenda ad Cleonem quendam Curиensem auctorem, quem cum alibi laudatum reperimus a graeco Apol-lonii interprete, tum in primis in praeclera annotatione ad librum I. 623. ex qua manifestum sit Toupium hallucinatum esse. Ma-gnus opinator scilicet is est; cui si quis ejusmodi error accidit, equidem non miror. Voluit enim videri superasse antiqui illius Democriti sapientiam, qui cum ovum inspexerat, quae gallina peperisset, dicere solebat. Praeterea multa sunt, quae quoni-mus haec carmina **Onomacrito** vel alli scriptori vetustiori tribua-mus,

A 3

1c



mus, nos impediunt; quorum statim illud primum est et maximum, quod in toto orationis habitu et quasi vultu non appetit nativus ille acque austerus sermonis antiqui color, quem haud ita facile est fuso aut aliquo artificio mentiri, quemadmodum olim Porci Latronis affectatores cumini potionem similitudinem coloris studii contracti imitatos esse ferunt; nec magis ipsa verba vetustatis illum squalorem et situm habent obductum; quem olim Dionysius, vir in omni judicio elegantissimus, in antiquissimis graecorum poetarum scriptis tantopere probabat; quomodo fere hodie antiquarii in nummorum vetustate agnoscenda rubiginem aliquam requirunt. Sed quoniam haec talia sunt, ut sensu quodam animi interno melius percipi, quam verbis distincte explicari possint, nec omnes ii, qui de scriptis veterum judicare instituunt, ingenium afferunt tritum notandis generibus poetarum et consuetudine legendi, orationem hinc ad ea transferam argumenta, quibus etiam si Gesnerus maxime confidebat, tamen ad omnem ejus disputationem nihil reperio, quod potius accommodem, quam ut aut parum eum memoria valuisse judicem, aut minus intentum rebus minutis opere in tanto habuisse animum, ut ineptiarum scilicet crimen effugeret.

Quod si enim docuero nullam plane fidem Gesnero haberi posse in eo, quod satis confidenter affimat, nihil dum esse in his libellis a se animadversum, quod repugnet illis temporibus, quibus fuisse dicitur Thracius ille Orpheus; si deinde demonstravero falsum esse etiam alterum illud, quod a Gesnero positum est, non urbium, non hominum, non inventorum aut cuiuscunque rei denique mentionem inesse, quam recentiorem esse Trojanis temporibus doceri possit; si denique exemplis confirmavero ipsam orationis formam et dictiōnem non solum a more Homericō, sed a constanti graeci sermonis usu, et perpetua veterum scriptorum consuetudine prorsus abhorrere, tum demum id mihi consecutus esse videbor, ut Argonauticorum Orphicorum novitatem manifesto oppressam et convictam teneamus. Mirum non est, si tandem ingravescente litterarum barbarie, cum omnis fraudis suspicio vetustate temporis exolevisset, homines indec̄ illa antiquitatis simulatione in eum errorem inducti sunt, ut ipsum Orpheum auctorem carminum istorum haberent, atque id etiam expresso in fronte libri scripti nomine significanterent.

Prius



7

Prius vero quam ad hanc disceptationem descendam, et  
in rem praesentem lectorum adducam, separatum aliquid mihi  
dicendum videtur de Hymnis Orphicis, quorum fidem atque  
auctoritatem communi virorum doctorum opinione cum Argonau-  
ticorum vetustate conjunctam esse video. Profecto non cre-  
didissem hac nostra aetate adhuc reperiri aliquem, qui nugas  
istas et hominis male feriati deliramenta vel tanti faceret, nisi  
nuper exstisset magni quidem ingenii vir, sed novarum opinio-  
num nimis studiosus, I. G. Herder, qui suscepto vetero errore  
universam aevi vetustissimi religionem et sapientiam ex hac sen-  
tentiarum mysticarum et argutiarum allegoricarum sibi invicem  
repugnantium colluvie derivare conatus est. At enim mirum  
mibi videtur, nec unum quidem Orphei locum ab ullo scripto-  
re vetustiori laudatum esse, quem in his hymnis reperias; cu-  
jus quidem rei ratio reddi non potest *ex eo*, quod saepius a Gef-  
nero nobis ingeritur, scripta scilicet Orphei delituisse ad ea fe-  
re tempora, quibus mysteria a Christianis detecta et vulgata  
mysteria esse desierint. Deinde facile a quovis etiam lectori ani-  
madverti potest, multa tradi in illis carminum Orphicorum frag-  
mentis, quae cum ipsis iis auctoribus, a quibus ea commemo-  
rantur, tantum a disciplina Orphica, qualem a majoribus suis,  
et antiquioribus Orphicae philosophiae magistris traditam acce-  
perant, abhorrente visa sunt, ut fidem atque auctoritatem omni-  
um eorum carminum, quae tanquam Orphica circumferebantur,  
in dubium vocarent; (\*) tum ita aperte pugnant cum doctrina  
ea, quae per omnem istam Hymnorum Orphicorum seriem dif-  
fusa haud difficulti conjectura colligi potest, ut vel uno hoc argu-  
mento confici cogique posse putem, Hymnos Orphicos, quos  
quidem hodie habemus, recentissimis demum temporibus ab ho-  
mene non nimis astuto excusos et confitos esse. De dictione  
non loquar; quid enim opus est in re tam clara ac manifesta  
plura addere, ubi breviter poteram defungi auctoritate viri do-  
ctissimi et in hoc litterarum genere versatissimi, Chr. Meiners,  
qui maximam fere Hymnorum Orphicorum partem a variis phi-  
losophis

\*) In quo genere praclarus est locus Pausaniae ai Gefnero cum pluribus aliis  
omissis, Attic. I. 14. p. 34. επη αδεται Ορφεως, γδε ταυτα ορφεως.  
εμοι δοκει απα, Ευβελει και Τριπτόλεμος Δυσανδρη πανερα  
ειναι. cf. Macrobius Saturn, I. 6. 18.

le,



Iosophiae mysticae auctoribus diversis temporibus demum post Christum natum esse confitam affirmat? (\*)

Nunc ad scriptorem Argonauticorum revertor. Quam sobrius et meditatus ad scribendum accesserit, velex eo manifestum esse potest, quod ipse diffidebat se mente satis certa et confirmata in hac carminis opera posse consistere, dum divinus ille furoris afflatus, poetarum sodalis, molesto animi contubernio relictus ad coelum remigrasset. Vereor tamen, ut multis recte fecisse videatur, cum auctoritatem deorum a carmine suo removeret, et parata furoris excusatione uti nollet. Quodsi enim aliquando partium suarum oblitus imitatione vetustatis excideret, et ab historiae fide aberraret, patebat ei persignum honestum, quo facile omnem fraudis infamiam a se avertere posset, et iniucas grammaticorum criminationes repellere. Nempe sanos Helicone Democriti sententia excludit, adeoque de rebus poeticis judicare vetat. Nunc autem in tam misera conditione caufae Orphicae, quam Gesnerus accepit, diligenter ei circumspiciendum est, ut non modo personam Orphei, sed omnem carminis narrationem et orationem praestare possit. Accedo ad rem, ac statim ipsum controversiae caput aggredior, quod facile me expugnaturum esse confido, si doceam multarum rerum mentionem inesse huic carmini, quae non modo Trojanis temporibus non conveniat, sed ipsa etiam Onomacriti aetate recentior sit, aut denique veterum scriptorum omnium auctoritati et rerum veritati repugnet.

Exordiar ab ea narratione (v. 385.) quam fere totius carminis pulcherrimam partem dixerim. Devertuntur Argonautae

(\*) In Bibliot. Philolog. Goetting. Vol. III. p. 112. Atque item demonstratum est a vix summo, Chr. Gottl. Heynlio, Hymnum in Musas a doctrina veriusq; aevi plane abhorrire, in libello *De litterarum artiumque inter Graecos antiquiores condicione*, quatenus illa ex Musarum aliisque deorum nominibus munitione intelligitur, Goettingae edito 1772. Quid commemo ram Hymnum in Herculem, in quo quidem hic Orpheus simius crimen impudentiae tam parum cavit, ut Herculem scilicet eum, quem una cum Argonautis ad velas aureas recuperandum abiisse communis erat veterum opinio, probata eriam ab ipso Argonauticorum Orphicorum auctore, conquam unum e deorum numero laudibus mactaret iis, ex quibus nova Phoronis foliolata dolare videtur. Numquam enim vetus ille Orpheus ducet, nos qui diu typellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum.

tae ad Chironem, et in montem Pelion ascendunt, ubi Peleus filium suum, quem sapientissimo Centauro educandum atque erudiendum tradiderat, obiter videre et amplexari cupiebat. At enim certum est, et observatione graeci Apollonii interpretis ad L. I. 558. confirmari potest, eam opinionem, quae Achillem a Chirone educatum esse volebat, post Homeris tempora demum prolatam invaluisse. Deinde deferuntur Argonautae ad scopulum Sirenum, quas quidem Orpheus virtute et suavitate carminis sui vietas eo redegit, ut se praecipites in mare darent, ubi in saxa transformatae esse dicuntur versu 1285. Praeterea Sirenum altera lyra, tertia tibiis cecinisse traditur; quae quidem omnia quantum cum ab Homericis narratione, tum a reliquorum scriptorum veterum consensu, et moribus heroicorum temporum abhorreant, nemo est paulo humanior, qui non ipse per se facile intelligat. Porro in describenda pugna, quae noctis errore commissa fuerat inter Argonautas et amicum Cyzici populum, auctor hujus carminis versu 500. nominat Dolopas, qui illam Propontidis oram nunquam tenuere. Voluti nimis Dolionas intelligi, quod nomen versus hexametri mensura non capiebat. Similem errorem deprehendisse mihi video in versu 748. ubi traditur ex Araxe ortum habere cum Phasi et Tanai Thermodontam, quem tamen omnes norunt campos Themiscyrenses tenuisse. Sed non dubito hunc scriptorem secutum esse auctoritatem Eratosthenis quem Strabo XI. p. 364. pro Lyco fluvio Thermodontem ait duobus illis prioribus adjunxisse, ut praecclare monuit Vir illustris (*Mr. le Baron de Sainte - Croix*) in libro doctissimo: *Examen Critique des Anciens Historiens d' Alexandre le Grand*, Parisis Ao. 1775. edito, pag. 298.

Nunc mihi fas sit intrare sacrum Hecatae lucum, in quo vellus aureum a dracone custoditum esse dicitur. Video possum in ipso vestibulo simulacrum deae, quam Colchi sub nomine Diana janitricis et venatricis adorant, *αρτεμιν εμπαλιην*, *κελαδοδρόμον ιλασκονται*, ut ait auctor versu 900, qui tamen ipse paulo post (versu 933) Hecaten Munychiam et *αυροτερην* nominat. En tibi quatuor ejusdem deae cognomina, ex quibus tertium proprium domicilium olim habebat in Munychia Atheniensium portu, ubi Dianae Munychiae fanum erat. Exspectabam  
B hic

hic, si Gesnerus nos doceret, quo tempore, qua via, quove  
 auctore Diana Munychia cum ipso portu ex Attica translatā ad  
 Colchos pervenerit; ille vero mirum quam absurdam voci originem nobis insursum in Indice, ybi Lunae, inquit, epitheton  
 videtur, quae μεν νυχος est, cum plena est, ut Solem a solitudine  
 quidam dictum volunt. Quid? quod idem cognomen de Diana Taurica simpliciter possum est ab hoc nostro scriptore ver-  
 su 1074. qui stulto sane consilio ex tot Dianaē appellationibus,  
 quae prima memoriae occursabat, statim arripuit, et quocunque  
 in solum veniebat, ut dicitur, effinxit. In longa arborum,  
 stirpium, plantarumque enumeratione, quas ex memoriae suae  
 areolis in lucum Hecatae transplantavit auctor a versu 913 ad ver-  
 sum 921, Gesnero videbatur id spectasse, ut nomenclaturam et  
 cognitionem rerum naturalium inculcaret. Verum hic vir doctissimus satis seculo fecisse pro suis rationibus sibi videbatur, si de-  
 claratione nominum illorum omisa, et in rei herbariae studiosos  
 rejecta, tantum occasionem praebet Orphicarum stirpium tex-  
 endi catalogi, in quo nihil tamen minus audacter affirmat, ut  
 nempe in aliis quoque partibus hujus carminis, nondum quid-  
 quam se reperisse, quod antiquum non esse appareat. Ego ve-  
 ro, qui vel hanc antiquae eruditionis partem, quae in cognos-  
 cendis herbarum nominibus et virtutibus versatur, nunquam  
 mihi contemnendam, aut omnino a studiis humanitatis alienam  
 putarim, in hac tanta nominum profusione non solum auctoris  
 iudicium valde desidero, sed etiam agnoscere mihi videor vesti-  
 gia curiosae magorum superstitionis, quae multis demum post  
 Orpheus seculis medicinae studia rerumque naturalium scientiam  
 tanquam pestis invasit et corrupit. Sic, ut exemplo utar, in  
 mentionem cyclamini herbae, quae contra constantem scriptorum  
 omnium usum κυκλαμις Σεβδης vocatur ab auctore versu 915,  
 plane convenit ille Plinii locus XXV. c. 9. de herba orbiculari,  
 quae latine dicitur: in omnibus serenda domibus, si verum est, ubi  
 fata sit, nihil nocere mala medicamenta. Amuletum vocant, nor-  
 rantque ea ebrietatem representari. Sed omessa tota ista disputa-  
 tione, paullo longiore, quam ferunt scripti hujus angustiae,  
 transeamus ad alium locum, qui, ut possit intelligi, emendacio-  
 nis opem desiderat. Memorantur versu 920 in herbarum medi-  
 catarum aut venenatarum numero αληνα, και τωνακετ, και πα-  
 ραγον



\*\*



## II

τωτον, ηδ' ακιντον. ex quibus eam, quae tertio loco posita est, qui notam sibi esse diceret, aut ab aliquo rei herbariae scriptore nominari meminerit, adhuc neminem reperire potui. Verum hic collatio codicis Vossiani a Gesnero allata nos in verae lectio-  
nis vestigium perducet. Is enim καλπασον praeferat, ex quo καρπασον efficiendum esse non dubito. Hujus vero plantae suc-  
cus olim in venenis fuisse traditur primum a Dioscoride, si ca-  
men is est auctor libri de Alexipharmacis, qui cap. 5 οτον καρ-  
πασον appellat. Plinius vero L. XXXII. c. 5. succum Carpathi,  
et similiter L. XXVIII. 10. et L. XXXII. 9. opocarpathon habet.  
Consentit tamen cum Dioscoride Galenus, qui libro primo Me-  
dicamentorum secundum loca c. 3. οτωναρπασον ex Archigeno  
nominat; atque idem libro primo de Antidotis, ubi Theriacam  
Archigenis interpretatur, myrrham saepissime cum succo carpasi  
vel iporum medicorum confilio permisceri, vel fraude pharma-  
copolarum propter magnam opocarpasi similitudinem adulterari  
memorat. Fuit plane idem librariorum error in hoc posteriore  
Galeni loco, ubi Basileensis editio οτωναλπασον pluries expref-  
sum habet. Atque ex hoc Galeni fonte paullulum inflexo no-  
mine derivata est καρπησια Pauli Aeginetae V. 45. cum qua no-  
minis saltet usurpatione convenire videtur καρπησον, quae di-  
citur alibi a Galeno, festuca tenuis, surculis cinnamomi similis,  
odore τε φε, sed valentiore et magis aromatico; sed eam re-  
apse et natura sua multum differre clarissimus medicinae veteris  
interpres, Gorraeus, nescio quam recte affirmat. Inter species  
ad vestigia pertinentes referunt etiam carpasum L. XVI. §. 7.  
de Publ. et Vestig. Quodsi vero carpasi memoria vetustior scri-  
ptis Dioscoridis et Plinii non exstat, nec illa ejus mentio facta  
est a gravissimis historiae herbariae auctoribus, Theophrasto et  
Nicandro, quorum hic posterior omnia plantarum venena, quae  
tum nota erant, diligentissime perfecutus est carmine luculento,  
vereor, ut aliquo fatis commodo arguento defendi possit,  
notitiam hujus veneni vsque ad remotissimam Orphei aetatem,  
aut salem Onomacriti aliquanto propinquiora tempora pertigif-  
fe. Antequam Hecatae lucum relinquamus, in transitu lubet  
adhuc inspicere plantam, quae versu 914 cum cypero et aristea-  
reone posita θρυον appellatur. Solet eo nomine plerumque in-  
telligi herba palustris, (vide Reiske ad Theocrit. XIII. 40.) quae

cum in hac plantarum venenificarum societate locum non habeat, rectius interpretabimur Θρυνη herbam Apollinarem, graece strychnon manicon, quod a quibusdam rei herbariae scriptoribus ita nominatum esse tradit Dioscorides IV. 74.

Progedior ad narrationem de amoribus Jasonis et Medae, quam exorditur auctor a versu 864. ὡς παρθενοῖστι αὐτῇ Φιλτροῖσι εδαμασθῆ αἰνογάμος Μήδεια — εν γαρ οἱ μερονωρτεῖ ερῶ τοτρόφος Κεφερεῖα, ἵκε δ' αἵ τον υπὸ σταλαγχνοῖσι δαστωλητοῖς Ερίνυσι. Non reprehendo jam in hac oratione vitium, quod quamvis leve, tamen in scriptore diligenter non cadit. Scilicet in commemorando amore, quem conspecto primum Jasone Medea conceperat animo, statim injicitur mentio nuptiarum, seu concubitus mavis, atque ita res temporis intervallo si non longo, tamen aliquo disjunctae vocis αἰνογάμος importuna consortione junguntur; verum illud quaero, quae nam partes Erinnios esse possint in eo amore, qui nullam praecedentis alicujus sceleris vel levissimam suspicionem adiunctam habeat? Proferri mihi velim vetusti alicujus scriptoris testimonium, quo Furiarum officium unquam in concitandis amoris motibus atque instigando libidinis furore versatum esse comprobari possit. Quodsi forte qui vetustatem carminum Orphicorum cupide magis quam prudenter asserere conantur, hanc quaestione ad posterioris aetatis iudicium rejicere velint, atque omnem defensionem ad exemplum Valerii Flacci, (\*) atque auctoritatem Statii traducere, videant, ne tandem ipsi in vada deferantur, ex quibus emergere atque eluctari non possint antea, quam certis rerum argumentis demonstraverint, ea in re doctrinam Valerii Flacci et Statii cum rationibus vetustissimae Graecorum theologiae plane consentire.

Denique multa in ipsa oratione, verborum usu, forma et flexione deprehendisse mihi video recentioris aetatis vestigia, quibus carmina sua personatus ille Orpheus impressit. Quae quidem singula prius quam indagata persequamur, diligenter a-

\*) Apud Valerium Flaccum Argonautic. IV. 13. legitur: *I, Furias Veneremque move, dabit impia poenas virgo, nec Aeatas gemitus patiemur inultos.* Locus Statii exstet Thebaid. V. 66 ubi Laelius Furias Veneri conjungi ait, quoniam yeneris voluptas nihil sit nisi infania.

\* \* \*

communione suspicionis huius sejungenda ducimus omnia ea loca, quibus corruptelae macula ignorantia librariorum concepta ita adhaesit, ut novissimi editoris aciem falleret, in quo tamen viro saepius etiam desideravimus diligentiam atque illam ingenii sagacitatem, qua vel maxime non solum hoc studiorum genus, sed omnis eruditio spectari et commendari videatur. Primum igitur versu 112 ubi conventus heroum ad Pagas narratur: ενθα δ' αριστην Μινωαν λοχον πυρεθοντο στενον δη Φαναριδον διμαδω, πρημινα τ' Αναιρε: vulgarem lectionem ita emendandam esse censebat Gesnerus, ut legeret: στενον ετοι Φαναριδον διμαδων, in angusto arenae tumulo: ut interpretatur ipse Gesnerus, qui quidem hic laudando conatu prorsus infeliciter, ne quid gravius in eum dicam, excidit. Levissima mutatione sensum patefaciemus, qui postulat legi: στενον de Φαναριδον διμαδω i.e. arenam litusque Anauri multitudine sua artibant. Deinde versu 273. est de nave Argo: και ει ετοι αρτια θηκαν αρηροτα ωροντεσ, ιστον τηδ οδοντος ετοι διατηρησεν. quae quidem lectio sola, si Gesnerum audis, sententiam commodam praefat. Ego vero, quaenam ea sit, nec ex interpretatione latina perspicio, neque conjectura possum assequi; hoc vero facile intelligo vulgare ετωπτια, quod a Stephano proditum temere rejicit novissimus editor, si mutetur in ετωπτεα, et omissa in ultimo versu distinctione cum vocibus ιστον τηδ οδοντος cogitatione conjungatur, tanquam postliminio esse recipiendum. Similis est locus Apollonii Rhodii Argon, I. 333. παντα γαρ εν κατα κοσμον ετωπτεα κειται ιστον. unde paulo post v. 1210. habetur: αλλα τε κατα κοσμον ετωπτισθειει ιστον. Porro versu 296. ubi editum est: οσ δηδικλεος εοθλον οταζεν. legi jubent leges grammaticae: οσ δηδικλεος εοθλον οταζη. Gravius vitium inhaesit versibus 392-3. quos ita restituendos esse puto, ut legamus: και αρωροκελιμενος μεν ετοι εδαιοι χαμενησ — επηρημενοτο de ωετρη. At versu 510. ubi est, αλλ' οτε γ' ακεανοι ποιο βαστιζετο Τιταν, postulat usus Homericus ut ποιο scribatur. Dubito etiam an ab ipso poeta profectum sit, quod versu 595. et 1095. legitur, μηριδα pro μηριδον, quae quidem posterior forma sola communi scriptorum omnium usu frequentata fuit. Mihi quidem utroque loco Homericum μηριδα repositum multo magis placet, quemadmodum etiam versu 584. τασητη διλανθεα, νεστην pure-

puream, ex vulgari scriptura (ταῦτα λιανθεα) elicere, quam Batavi doctissimi διανθεα molesta argumentatione divexare malim. Denique versu 659. pro vulgato εων ηων legendum est ηων, ubi Apollonius in eadem narratione I. 1360 ηωσ τελομενη habet, quod haud scio an versu 482. ubi legitur αμ' ηωσ, simili-  
ter reponendum putem.

Primo statim loco ponи debebant memorabiles illi versus, (605 seqq.) quibus Minyarum ascensus in montem Dindymum narratur, ubi Rheae simulacrum ex vite silvestri affabre factum a se dedicasse dicitur Argus: ὅτυ τανυφλοις ελατης αιφιωλε-  
νεος ερνος αιτελεις αναλεπτης οζει απεκερεσ σιδηρω, ξεσε δεωστα-  
μενως βρετας ιερος ιδμοσυνης, quae quidem verba ita Gesnerus  
interpretatus est: qui implexam corticofae abietis stirpem, quam am-  
plexa fuerat vitis arida, acuto praecidit ferro, sculptique ex eo  
scienter imaginem sacram. Verum meminisse debebat vir doctissimus,  
quod ab Apollonio Rhodio I. 1117. traditum sine dubio  
legerat, fuisse hoc simulacrum ex vite silvestri factum, quam car-  
minis Orphici auctor abietis annosae truncum amplexatam fuisse  
perhibet. Sed in verborum graecorum structura leve vitium  
haeret, quod Gesnerus in errorem induxit; voces enim istae:  
τανυφλοις ελατης a secundo casu in tertium translocandae sunt,  
ut recte cum extremis verbis jungi possint, quae proinde vitis ari-  
dae stirpem abietis trunko implicitam significant. Hoc igitur Rheae  
simulacrum Argonautae apud Apollonium in colle fagis inum-  
brato dedicatum ara lapidibus exstructa et foliis quernis corona-  
ta cinxisse dicuntur; at Orpheus hic noster multo operosius eos  
exstruere lapidibus domum Rheae, (λαεσι δε ευτυχοις δωρυσσατο  
οινον αναστη) atque intus ara lapidea posita sacra tauris facere  
jubet. (φεωι ταιροδιτης λοιβας ηδη ιερα καλα ρεξαν.) Sunt  
quaedam in hac narratione, quae cum a simplicitate vetustissimae  
religionis, tum a ritibus sacrorum in cultu Rheae antiquitus usi-  
tatis plane abhorre mihi videntur. Primum illud quaero, qui-  
nam domus illius, quam in tanta sociorum trepidatione solus  
Argus lapidum exquisitorum mole exstruxisse dicitur, usus fuerit  
ad sacra Rheae peragenda, quibus ara posita ante deae simula-  
crum pro more seculi istius sufficere poterat? Deinde mentionem  
taurorum in sacrificio factam, ubi Apollonius ursos adhi-  
bet,

bet, a ceremoniis taurobolii traductam scriptoris aetatem recentissimam arguere, eo confidentius affirmare posse mihi video, quod ipsum adeo Gesnerum tandem in eam suspicionem venisse video, ita, ut in interpretatione latina ponere ausus sit libamina taurobolio addita, adjecta hac annotatione: *An ταυροθυτες λοιπες συσπιτανινης ceremonias hic indicari eas, quae multis post seculis demum prolatae, et Taurobolii nomine superstitione illo Antoninorum seculo celebrata sunt?* Quod cum suspicor, imitationem qualemcumque adfellationemque Christianarum sententiarum non excludo. Hinc igitur in Hymno XIII. 2. Rheae currus ταυροφόρος assignatur. Quoniam vero caput hoc antiquae religionis, quod est de cultu et sacrificiis deorum, oratione nostra attigimus, age reliqua etiam deinceps loca persequamur, quae naturali quadam cognitione cum eo conjuncta videntur. Igitur in toto illo apparatu sacrificii, quod a versu 308 describitur, nihil est, quod a communi veteris Graeciae more recedat, ut sibi persuasissime videtur Gesnerus, qui mirabilia quaedam hinc mysteria nobis effinxit, quae partem theologiae Orphicae constituisse putabat, nisi quod cum hic, tum altero prorsus gemino loco (versu 955) ordine praepostero, non inusitata scriptori nostro negligentia primum stres lignorum in litore facta memoratur, cui vietimae partes quaedam impositae, atque omento involuta adolerentur; tum demum versu 311. taurus caeditur, quem etiam Apollonius in sacrificio isto adhibet, omissa tamen mentione foederis, quo fidem Argonautarum jungendam carminis Orphici scriptor existimaverat. Hic vero Gesnerus nobis objicit versum 310. ubi legitur: *εν δ' απ' ὑπερθε πετλω παρατέθησε θεοις επινηκυτα δῶρα.* ex quo mira interpretatione partem mysteriorum Orphicorum eruit. Sed ad omnem istam viri doctissimi orationem facilis et brevis est defensio. nam verba illa επινηκυτα δῶρα, nisi partes hostiae in stree lignorum flammis adolendas significant, nullum plane sensum habent. At enim ipse carminis auctor nobis persuaderet, ut ita hunc locum accipiamus, qui statim initio (versu 39) *Φθιμενων επινηκυτα δῶρα* similiter posuit, quod Gesnerus mortuorum larga donaria interpretatus est, cum altero loco *δεδου* munera dedisset, in quo plane acquiesco. Sic enim eam vocem usurpatam reperio a Valerio Flacco cum L. III. 312, ubi est: *date debita caesis munera, quae nostro mississe Cyzicus igni: cum*

L. II.

1c

L. II. 330. protinus ingentem procerum sub nomine taurum dejicit, insuetis et jam pia munera templis reddit. Superet, ut notionem vocabuli *τεωλη* ad interpretationem nostram, et ritum sacrificiorum accommodemus. Notissimum est partes maxime pulposas pinguesque, ut sunt femora, de victima caesa diis exempta, atque omento obvolutas igni fuisse adeotas. Apud Homerum quidem in sacrificiorum apparatu describendo fere ubique vocem *κυνστην* de omento positam reperimus, ubi recentiorum plerique, in quibus est etiam Apollonius Rhodius, (I. 434.) vocabulum *δημος* adhibuerunt; sed eadem plane significatione fuisse etiam usurpatam vocem *τεωλης* testimonia scriptoris eruditissimi confirmare possum. Is est Meletius, qui quidem in ea rarissimi libri de *Natura hominis* parte, quae corporis humani partes nominumque proprietatem explicat, adeoque paene tota ex grammatica diligentia censetur, auctoritatem *Socratis*, qui de *Hominis natura* librum scripsérat, sequi se profitetur. Hic igitur p. 90. ita tradit: *Ενιμ vero diaphragmatis, hoc est septi transversi membranam τεριτωλου, quod visceribus involvatur, nuncupant; sive peplon dia το οφατλοθαι, quod videlicet in pepli modum sublernatur; vel πατος, αποτο τετηλχαι και διο συνεψιχθαι, quod compaſtam esse conſtrictamque interpretareris, ut Callimachus (\*) inquit: ηρι αν οφημεναι τησι μεγιλε πατος. quod studijs prosui arbitrio interpretentur.* Jam vero vide num hanc eandem notionem ad interpretandum versum 955. mecum transferre, an *γλατλασματα* ουτο *τεωλης* ibi cum Gesnero puppas sive imagunculas cereas (\*\*) peplis involutas ignique adustas intelligere malis. Ultimo loco sub censuram vocabimus versum 570. ubi Cyzici manibus hostia nigra caesa dicuntur inferiae factae esse. Posuit carminis auctor: *ιδ εντομα πορσυντες ταμιελαν εν βοθροις κατεναιαθον;* quae quidem verba totidem latinis reddidi, Gesnerus: *et inferias nigras combufferunt.* Verum cum *εντεμενι*, *εντομα* vel *εντομα ποιει τηι*, adjuncto vel omisso casu quarto, vel

etiam

\*) Hic Callimachi locus, quo fragmenta in novissima poetae editione prodita possunt augeri, codicis graeci opem desiderat. Suadere tamen videtur vocis originatio, ut *τεωγος* legamus,

\*\*) Qualem in beneficio adhibet Sägana ap. Horat. Serm. I. 8. 30. ubi vide Intpp.



etiam secundo, ut apud Apollonium Rhodium I. 587. εὐτορά μηλαν, ubi tamen Etymologicum magnum μηλα habet.) quo genus hostiae declaretur, proprie dicatur de sacrificio, quod mortuis fieri solebat, ut est etiam apud ipsum auctorem nostrum versu 956: εὐτορά θυματή ἐρέω, iterumque versu 1368. ὅφρα κερ εὐτορά ρεξω βασιλευσ, non immerito dubitet aliquis, qui graecae linguae ingenium probe noverit, an εὐτορά παμπελανα reετε dici possint, quasi tu latine velis *sacrificium nigrum*, vel, ut lepide Gesnerus, *inferias nigras* ponere. Mihi quidem ea locutio cum a perpetuo veterum scriptorum graecorum usu, tum ab ipsis rationibus grammaticis prorsus abhorrire videtur; cuius modi naevos plures in hoc scriptore deprehendisse mihi videor, ex quibus agnoscere possumus ingenium hominis recentioris rude et pingue, qui graeci idiomatis usum valde exiguum, scribendi vero cogitationem vel exercitationem plane nullam ad hanc carminis operam attulit.

Atque ita tandem me ad eam disputationis hujus partem delatum esse sentio, in qua se jactare posset oratio mea, si totum hoc de puritate graecae dictioonis argumentum usque ab Homericorum carminum imitatione repeterem, atque omnes grammaticae eruditionis copias paulo latius explicare velle. Verum omnis haec censura tantum in iis orationis vitiis consistet, quae quidem ita aperta ad reprehendendum sunt, ut nihil tam copiosa advocatione utar, et facile causam meam apud intelligentes harum rerum judices vincturus esse mihi videar. Atque hic statim obversatur animo meo mira dictioonis barbaries, quam carminis auctor a contagione seculi sui, vel ex frequentiore linguae latinae usu traxisse videtur. Brevissime loca tantum insigniora perstringam. Versu igitur 977. posuit λυσσωτις σκυλακη pro cane rabida, deinde versu 1278. χρυσην τριανη, quorum quidem verborum alterum (σκυλακη) cum ab analogia graecae linguae prorsus abhorreat, nunquam usu scriptorum frequentatum fuit; alterum vero (χρυσην) novum plane ac deforme ex quo fonte promanaverit comminisci non possum. Non minus alienae sunt a graecae dictioonis puritate locutiones istae: και πανγκμεριοστην εν ειλαπιναισιν ομαρτεν (παρεοντας) versu 509. pro eo, quod latine dicitur, epulis eos prosequebatur. Similiter ex fonte



latino fluxisse videtur, quod habet versu 941. επιστειθωσι δέ εργον id est, opus aggredentur. Saepius etiam in ipsa versuum dimensione metrica peccatum fuit, veluti versu 668. εσπεροι αυλισθεντες εφωπλισσαμεθα δορποι. ubi tertium verbum syllabam antepenultimam contra constantem poetarum usum habet productam; deinde versu 974. τριστοκεφαλος syllabam penultimam contra naturam suam producit. Eodem pertinet versu 1137. ut priore longa positum, quod a more Homericō plane est alienum. Quis porro ferat in scriptore nostro illam balbutiem dicam an insciat, cum versu 647. ponit: ηειος φερει ιππεις. et versu 1157. οφελον με διαρραισθεισα ολεσθαι, ubi debebat esse: οφελον διαρραισθεισα ολεσθαι. Quis infantiam hominis et turpe battologiam non irrideat, cum versu 540. (ευδεις γλυκερα βεβοημενος υπων καμα περι βλεφαροις βαλων) tantum et tam inanem verborum strepitum ad sopiaendum gubernatorem Argum excitatum esse videat? Quis unquam Plutonem, id est Iovem inferum, χαραιγηλον δα αραια poeta quoipiam praeter hunc Orphei simiolum versu 929. dictum fuisse accepit, aut omnino recte dici posse putavit? Nam, ut vis nominis praescribit, χαραιγηλος is appellatur, qui humum amat, humilis, et inde ad animum translata notione, demissus, timidus, quemadmodum ορειγηλος est qui montes amat, montanus. Quonam veterum eius scriptorum exemplo comprobari aut defendi potest, quod versu 57. dixit poeta noster: καιοι ύπο πραπιδεστι δελξ τριβον ηπεροπενε? cum postremum hoc verbum cum quarto casu jumentum per se fallere, decipere aliquem significet; deinde quod versu 879. μορφας pro membris et versu 217. σταχυν pro prole posuit? Non possum equidem inficiari alteram hanc vocem de genere Spartorum positam versu 872. (σπαρτων σταχυν εζενηπη) admodum mihi placere, quod illi videlicet ex semine dentium draconis instar segetis progerminasse dicuntur, unde apud Apollonium III. 1352 ανασταχυεσον γηγενες, sed in hoc nostro loco hanc temeritatem nullo modo ferendam puto. Nec est, quod hanc aliquis translationem auctoritate Homeri et Apollonii Rhodii defendi posse putet, quod hic quidem aliquo loco επισταχυεσον ειλος, ille vero αιδρι ιπποσταχυντο βων γενες posuit; nam utriusque loci rationem longissime ab usu scriptoriorum nostri semotam esse cuique facile patet.

Sen-



Sentio tam largam vitiorum segetem ex hac scriptoris barbarie tanquam ex agro fertilissimo censurae meae succrescere, ut vel longissima oratio iis omnibus excutiendis vix videatur sufficere. Quamobrem ea potissimum ex illa multitudine deligam loca, quae paulo longiorem disputationem desiderant, ut hominem fraudulentum pro sanctissimi viri monumento seculi semigraeci fordes atque ingenii sui lutulenti retrimenta nobis objecisse vincam. Quis enim verborum proprietatem non ignorans persuaderi sibi patietur a Gesnero graeca esse, quae leguntur verbu 911. ev de ποαι ῥίζηις κατηρέφεες χθαμαλησι i. e. herbae, quae radices humiles protegunt, ut interpretatur vir doctissimus, cum κατηρέφες dicatur id solummodo, quod superne testum est. Hic tamen objectioni Gesnerus ita occurrebat, ut diceret κατηρέφες non tam esse testum, quam quod tegat, inumbret; quam quidem sententiam suam vehementer vereor ut exemplis locorum Homerorum, quae laudat eam in rem ex Odyss. N. 349. E. 367, atque auctoritate Scholiaстae confirmare aut defendere possit. Utroque enim loco κατηρέφες σπέρως et κυμα nativam suam notionem facile tuebitur; nec magis adjuvat loci Orphici interpretationem, quod Euostathius priore loco σπέρως κατηρέφες a quibusdam χθαμαλον exponi meminit. Verum, ut concedam Gesnero, recte dici κατηρέφες etiam id, quod tegat, inumbret, nihilo tamen magis his se difficultatibus explicabit. Quod si enim jam notionem istam cum Gesnero ad locum Orphicum transferas, quod equidem qui salvis grammaticorum legibus fieri possit, non video, sensus inde existet plane inconcinnus atque absurdus, quem tamen ipse versione latina exprimere, quam quod propria vocabuli vis suggerebat, radicibus humilibus testae, ponere maluit. Transamus ad alium locum, ex quo clarissime, ut puto, elucescit, ab usu sermonis latini hominem inscitum notiones rerum a proprietate vocabulorum graecorum longe disjunctas repetuisse, atque inter se invicem confusisse. Memorantur versu 512. immates illi viri, et forma corporis Gigantibus non dissimiles, qui cum montem Arcton incolerent, Argonautas in litus suum egressos cum armis aggrediuntur, αργιφάτοι αὐδρες δι γα νεμόντο Αρκτώοις εν ορεσσι, τεθηπότες εικελα Θηροι. quem locum Gesnerus interpretatur: martii viri, qui habitarent arctois in montibus, rupidi, ferarum in star, ceterum Titanibus similes. Non obscurum



quidem est, quam notionem in explicando verbo τεθηποτες se-  
cutus sit vir eruditus; sed audacter affirmare posse mihi video  
nunquam illud usu scriptorum graecorum de homine stupido fre-  
quentatum fuisse. Est enim τεθηπεναι proprio novarum rerum  
miraculo stupere, ut in noto illo Homericō: τιφθ' ετας εστητε  
τεθηποτες πυτε νεβροι. nec intelligo, quo mentio ferini stuporis  
in hominibus immanibus et bellicosis pertineat. Igitur alio  
nos convertamus oportet; nec melius quicquam mihi succurrat,  
nisi ut τεθηποτες eo sensu accipiamus, quo latine stupendus dici-  
tur, et deinceps postrema illa verba εικελα θηριι cum praecedente  
γεμωτο conjugamus. Atque hanc rationem adjuvare vide-  
tur cum versu 565 ubi prostrata istorum hominum cadavera  
πελωρια σωματα θηρων dicuntur, tum in primis comparatio loci  
apud Apollonium Rhodium I. 943. qui in eadem narratione  
γηγενεες μεγα θαυμα περιτικοεστιν ιδεοθαι positum habet.

Sunt praeterea quaedam in scriptore hoc nostro verborum  
formae et locutiones peculiares, quas breviter etiam hic nota-  
bimus. In hoc genere plane singulare est, quod versu 277. re-  
peritur Μινυας pro Μινυας positum, deinde versu 644. νυρφων  
λιμναιδων pro λιμναιων. Saepius in Argonauticis recurrit locutio  
μνων απ' ανθρωπων eo sensu, quo latini solus ex mortalibus, solus  
hominum dicere solent. Sic est versu 92. 181. 692. contra vero signi-  
ficationem propriam, hoc est, graecam habet versu 768. οιος απ'  
αλλω ipse solus, sine comite. Nec erat, cur Eschenbachius hanc  
eandem notionem ad versum 92 transferendam existimaret; re-  
ste enim in illa Jasonis oratione dicitur Orpheus solus ex morta-  
libus vivus ad inferos penetrasse. Observatum jam esse video  
a viris doctissimis Dav. Ruhnkenio Epistol. Critica II. p. 69. et  
Gesnero in indice verborum Orphicum peculiarem et proflus  
inauditum antepronominis οι, οφιος usum, in quo scriptor hic  
Argonauticorum paene insanit. Sed nolim cum his duumviris  
temere pronunciare voculam utramque particulae expletiae  
loco esse habendam; qua quidem opinione admissa, confiten-  
dum erit etiam illud, quod tamen illi doctissimi viri negant, o-  
mnem vocabulorum vim atque usum ex graeca lingua fuisse ab  
hoc scriptore sublatum. Ne plura hic commemorem exempla,  
vide modo illa: μολειν γαρ οι ετι πεπρωτο φασιν καλλιρροιν μενος  
οιβρω.

Θριμον Ηρακληος versu 634. deinde: ὅνδη καλλιχόρον μεν επιτωμον  
σι καλεστι versu 729. postea: τῷ δι pro cui positum versu 544.  
porro: εν δε σφιν πυματῳ μυχῳ ἐρκεος versu 909. denique: α  
δη τελεεθαι εμελλε σφυσιν απαθαλητον πολυφθερον Αιγαος versu  
863. quod ex reliquo poetae more debebat esse: αδη τ. ε. αραθα-  
λητον εο Αιγαος. Non aliter fere vetustissimis temporibus genus  
animalium locutum esse putarim, quorum confabulationes vafer  
ille Phryx inaudiverat; ita ut nemini posthac mirum videri de-  
beat hunc nostrum Orpheum olim feras suavitate cantus sui de-  
linitas tenuisse, et dirum illum draconem, aurei velleris custo-  
dem, incantatione paucorum verborum in soporem profundis-  
simum conjecisse.

Vltimo loco lectori proponam examinandos duo ver-  
sus ex Hymnis Orphicis desumtos, quibus etsi ad sententi-  
am meam confirmandam nihil jam utor, fortasse tamen pot-  
est exinde duci aliqua suspicio de tempore, quo carmina haec  
scripta sunt. Prior extat Hymno XVIII. 16. σμαραραγε δε κεραυ-  
νος αιθερος εν γυαλοισι. Evidem scriptorem alium non novi qui  
de cavitate aetheris γυαλον usurparit, praeter auctorem carminis  
de Venatione, quem vulgus ineruditum cum Oppiano perpe-  
ram confundit. Is igitur similiter habet L. I. v. 281. αιετος αι-  
θεριον επιθυων γυαλοισιν. Alter est Hymno XXI. 5. de mari:  
ευδιον απαλοισι γαληνωσα δρομοισι, quocum iterum plane con-  
venit versus 115. libri primi de Venatione, ubi dicitur dies πασα  
γαληνωσα πανηματοισι δρομοισι. quem male a Turnebo expli-  
catum esse nunc demum intelligo, cum eandem culpam in lo-  
co Orphico interpretando Scaligerum in se admisisse video.



Atque haec haec hactenus. Nunc ex hoc antiquitatis diverticulo  
digressa properat illuc oratio, quo gratissima diei illius memo-  
ria, quae *Fridericum Wilhelmum Magnum*, Academiae Franco-  
furtanae instauratorem et propagatorem nascentem vidit, invi-  
tatam vocat publica Academiae nostrae pietas, cuius interpre-  
tem me oratione anniversaria die XVII. Februarii dicenda fecit sum  
ma augustissimi Regis nostri munificentia, qua mihi humaniorum  
litterarum in hac Academia docendarum munus clementissime  
demandatum fuit. Igitur nomine Academiae rogamus omnes,  
qui memoriam maximorum beneficiorum a *Friderico Wilhelmo*  
*Magno* cum in universam rem publicam, tum in litterarum stu-  
dia collatorum in pliis civium bonorum omnium animis dedi-  
catam et consecratam grati nobiscum venerantur, qui que omnino  
bonis artibus favent, et litterarum studia colunt, in primis vero  
serenissimum Principem MAXIMILIANVM IVLIVM  
LEOPOLDVM, Ducem Brunsvico - Luneburgicum, ac reli-  
quos in sago et toga illustres viros, ut, dum publice in audi-  
torio majore hora XI. oratione latina virtutes pacis in *Friderico*  
*Wilhelmo Magno* conspicuas breviter exponam, hoc publicum  
pietatis nostrae testimonium et praesentia sua honestare, et favo-

re



23

3.

re suo illustrius reddere dignentur. Quod si beneficium sive  
officium si et Friderici Wilhelmi Magni meritis et nostris preci-  
bus concederint, operam dabimus, ut intelligent, se apud in-  
gratos illud haud posuisse. D. VIII. Februarii,

MDCCCLXXVII.



le

60

177  
Gott ist der Herr der Heilige und ewiglich  
der Erbherr des Himmels und der Erde. Er ist der  
Herr der Hölle und der Erde. Er ist der Herr der  
Hölle und der Erde.

Gott ist der Herr der Heilige und ewiglich  
der Erbherr des Himmels und der Erde. Er ist der  
Herr der Hölle und der Erde. Er ist der Herr der  
Hölle und der Erde.

MDCCLXII

L. 245

D





Frankfurt a. O., Diss., 1776-97


X 23106 92



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-126380-p0036-9

DFG



SOLENNITATEM ANNIVERSARIAM  
MEMORIAE  
FRIDERICI WILHELMI  
MAGNI  
PVBLICO PIETATIS TESTIMONIO  
AB  
ACADEMIA FRANCOFVRTANA  
DIE XVII. FEBRVARII MDCCCLXXVII.  
CELEBRANDAE  
INDICIT  
I. G. SCHNEIDER  
PHILOLOG. ET ELOQVENT. P. P. O.

PRAECEDEIT DISPVATATIO DE DVRIA  
CARMINVM ORPHICORVM AVCTORITATE AC VETVSTATE.



*TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.*